


BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. im. Ossolińskich


XVII

115



215





67
DOCTORALIS 537

A P E X,

Virtuti, & Meritis

Clarissimi, & Excellentissimi Dñi.

M. ANDREÆ GRABIANOWSKI.

I. V. DOCTORIS, & in Collegio Clarissi-

morum DD. Iureconsultorum Professoris,

Prothonotarii Apostolici, Ecclesiæ Collegiæ omnium

SS. Scholastici, &c; &c.

D V M

inter I. V. DOCTORES, in Alma Vniuersitate

Cracouien in florētissimâ Nobilissimorū hospitū

coronâ, cooparetur, honorificentissimè

DE LATVS,

ET

A. M. STANISLAO JOSEPHO BIEZANOVVSKI Leop. P. D.

honoris & gratulationis ergò,

& ad perenne, pro Amplissimis beneficiis gratitudinis mnemosynò

festiuo Cytharæ applausu

CELEBRATVS.

Anno restauratæ salutis M. DC. LVIII. Die Mensis Aprilis.

CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ Luçæ Kupiß S. R. M. Typ.

1.215

IN STEMMATA
Almæ Vniuersitatis CRACOVIENSIS.



Cv̄r dūplices fasces, simplex diadema coronat,
Iunctos in formam, signaq; sancta crucis?
Pectora simplicibus sceptris indocta reguntur:
Regia scepra regunt corda togata Sophūm:
Cruz tamen in Sceptris radiat; nam culmen honorum
Inter Academicos non venit absq; Cruce.



ANDREAS FRANKOVICZ,
Eloquentiæ Auditor.

XVII - 115 - III

Clarissime, & Excellentissime Domine.

DOCTOR.



Amplissimo honori Tuo, quem Tibi Virtus & eruditio Tua incomparabilis comparavit, ut Picride quoq; mea ex umbra Muscoli mei in lucem publicam prorumpentes, festinus applausu congratularentur, & meritorum Tuorum in Rempub. literariam, & amoris in me Tui magnitudine effecisti.

Injurius certe in Almam Matrem meam, & ingratus in Te Aman-
vissimum Patronum meum vixissem; si in tantâ Doctoralium Festo-
rum Tuorum celebritate, in tanto de Te, Tuisq; amplissimis consum-
mata virtutis & Sapientia doribus, publici judicii testimonio, aut
meritis & beneficiis Tuis; aut meæ in Te observantia, officioq; defuissem.

Nulla mihi dies crebrioribus votis expetita, nulla majoribus gau-
diis cumulata est; quàm lucis Tuae lux hæc auspiciatissima, quæ Te in e-
m nenti Themidis fastigio ad augem literati honoris euexit, in quâ
silere nec honori Tuo, nec amoris meo honorificum esset: in quâ nullo
licet pisce magis elinguis & mutus essem, rumperet tamen, formaretq;
negatas amor in me Tuas voces; & vel cùm Satyrici psittaco *Χαίρει*
Clarissime DOCTOR exclamaret. O verè, citra omnem assentatio-
nem, supra omnem invidiam Vir Clarissime! Sileam ego licet de Te;
præ Tuâ, meâq; modestiâ; non silebunt certè virtutis & eruditio-
nis Tuae eloquentissima merita; non silebit commune, quod Te Sum-
mis Viris inserit, judicium. Placuisti olim Magnis Academia No-
stra Patribus, acerrimis ingeniorum censoribus, Lydisq; solida vir-
tutis & Sapientie lapidibus, à quibus ita probatus, & approbatus es;
ut inter Domus Minoris (quæ in Almâ Vniuersit. Nostra perpetuum

Adagnorū Virorum fuit, eritq; semper seminarium) Excellentissimos
Professores cooptatus, ingens Stagyra Philosophicæ lumen attuleris, in
quâ Cleantheâ laboriosissimi pectoris, & magni animi contentione cum
gustu, & profectu pubis Academica fidelissimè desudasti; cum interim
simul Themidi quoq; Tuæ impensissimè vacares; luculentio magnæ mē-
tis Tuæ testimonio, quæ tam disiuncta, tam ardua studia admirabili
federe conjungens, Sophia, Astræaq; simul optimè litavit, & abundè
suffecit. Quid vero cum Te totum sibi ex asse Themis rapuit; cum
Te ad Clarissimam Iureconsultorum stationem vocavit; cum Te sub-
selliis publicis, Sacroq; Tribunali admouit, quis pro dignitate edisserat;
quantum Te non fecit, sed invenit Iuris, Iustitiæq; Oraculum? tantū
profecto, quantum Roma deinde probavit, & insigni I. V. Doctoratūs
laureâ coronavit. Quod si virtutis probitatisq; Tuæ, integerrimiq;
& inopum Amantissimi pectoris eximias dotes, aut feruentissimum
in promouendâ re literaria zelum, totq; pro bono publico suscepta
odia, dataq; consilia recensere vellem; & prophæseos meæ modum, &
modestie Tuæ limites violarem. Quot ora, tot calami; quot corda
amantium Te, tot fasti sunt, in quibus hæc adamantino stylo veritas
non fucata descripsit. Quapropter, qui à Magnis olim Patribus No-
stris in primos honorum gradus deductus, nunc etiam Patrū sen-
tentia & suffragio in altissimo honorum culmine constitutus es, au-
spicatissimum dignitatis Tuæ Clarissime DOCTOR ordine initium,
Patrūq; nobis in Te gloriam, literatq; decora exprime, & con-
serua, pusillumq; istud quod Tibi Musa mea, gratitudinis persoluit
tributum, paterno, ut soles, animo excipe. Ità Te mihi, Tuisq;
omnibus florentem, fortunatumq; summa bonitas quam
diutissimè conseruet!



DOCTORALIS

A P E X.

Ipsa quidem doctis sapientia maxima dos est,
 Sola decus propterq; suum dignissima quæri,
 Nempè bonū, quo non aliud diuinius ullum;
 Hæc tamen arcano quodam sublimia fato
 Diligit, excelsaq; libens in sede moratur,
 Cultoresq; suos per rerum asperrima ducens,
 Euectos tandem cælo sublimat & astris.
 Imbelles animos res hæc discernit, & altos;
 Infima vulgus amat, planū pede tunditur omni;
 Ardua flos hominū sequitur, montesq; fatigat,
 Nec fas est socco calcari summa prophano.
 At fortè ad summum gratis contendimus? ohe
 Tàm rudis est nemo, spes aurea fulget in altis,
 Culmē honoratū nunquàm venit absq; coronâ.
 Et meritò: quis enim curis non cederet? aut quis
 Mille per anfractus, doctiq; per ardua Pindi
 Tenderet ad summū? sperata cacumina nūquā
 Emerito calcare gradu si fortè liceret,
 Ipsaq; si steriles ferrent fastigia lappas. (es,
 Crux mera, si fructu careas, labor improbe, crux
 Danaidumq; latex, Sisyphiq; volubile saxum,
 Vndaq; Tantaleo nunquàm gustanda palato.
 Aurea spes animos recreat, vultumq; serenat:
 Hinc mercator opes, gemmas sectatur, & aurū

Miles amat prædã, loculos amat Euclyo plenos,
 Aulicus exigua Chamalæon pascitur aura,
 Quisq; suam Cythisũ sequitur, sua vellera curat,
 Votaq; sunt magnis conatibus aurea semper.
 Nil equidem magnum magnus sapuisset Jason,
 Si Phrygiis vulgare bonum quæsisset in oris;
 Postq; procellosi sæuissima iurgia Ponti,
 Æoliatq; minas, vdæq; pericula mortis,
 Flãmi vomosq; boues victos, fusamq; stupendi
 Armata[m] segetem populi, dentesq; sagatos,
 Risisset fortuna Ducem, salibusq; Pelasgis
 Heroum vacuas vexasset Græcia puppes,
 Vellera Phryx aries fuluo nisi ducta metallo
 Præmia Victori dudum exoptata dedisset.
 Nec Tibi luridicæ peteres dum celsa Cathedræ,
 Virtuti, meritisq; Tuis fastigia pridem
 Debita, cor alio DOCTOR Clarissime voto
 Flagrauit, quàm quo magnæ ad sublimia mêtes
 Magnorumq; solent agitari corda Sophorum.
 Nempè decus, virtutis honos, alimenta labori,
 Præclaris, sanctasq; faces, stimulosq; perennes
 Doctoralis Apex conatibus igne latenti,
 Subdebat, sudorq; triplex manabat in alto
 Grando fatigatas vt gemmea, & aurea dextras,
 Ternaq; sudatam redimiret laurea frontem;
 Responditq; Tuis jam nunc fors aurea votis,
 Dum pia doctorũ Doctorem brachia tollunt,
 Ementæq; decus Sophiæ, Patrumq; coronam,

Virtutis solidæ normam, solidiq; laboris,
Orbis Academici summo super axe reponunt.

Ivisti felice gradu Vir Maxime, quo, Te
Mira fitis docti laticis, summusq; togati
Impellebat amor studii, tandemq; triumphans
Alta coronati subsellia verticis imples.

Namq; Stagyreæ post præmia docta palæstræ;
Post geminam Sophiæ laurum, donataq; pubi
Tempora Sarmaticæ; post tot certamina docti
Pulveris, & toties Craciæ sudata Mineruæ
Pulpita; post curas Themidis sacrumq; tribunal
Romanæq; Urbis post ornamenta, decebat
Non alio Themidis columen requiêsse curuli;
Quàm quo sæpè suos decorat Themis inclyta
Huc tua te Pietas, cãdor, vitæq; probatæ (mystas
Illibatus odor, veri Observantia, priscæ
Mira vetustatis dilectio, canaque virtus
Deduxit niueo meritorum calle Tuorum.

Viuit adhuc in Te Doctor Clarissime, Patrum
Integritas, priscumq; decus, doctrinaq; cyclo
Consummata suo, viuetq; perennibus olim
Insculpenda Cedris; vox Publica scilicet istud
Plausibus Jo! Tibi nunc jam vouet Jo! trecentis.
Attollitq; manus cælo, festosque precatur,
Vt Tibi continuent lætissima tempora soles.
Quidni sæcla velit Tibi viuacissima? quidni
Supplicet æternis pro Te Schola Cracia sceptris?
Ardua quem facili pandentem dogmata sensu,

Nodo,

Nodosæq; stupet perplexa oracula causæ
 Soluentē; Mystisne sacrum quos stringit ouile,
 Commissiq; gregis proprio soluenda cruore
 Cura, per externas liceat discurrere curas?
 Egregio discussa modo cum cernit ad unguem
 Lumen ob ingenii, sublimēq; mentis acumen.
 Quo Tua Te Pietas cælo gratissima, quò Te
 Indefessus amor studii, calamusq; beavit,
 Atq; Cleanthæ dilectio tanta lucernæ.
 Doubus his, meritiscq; Tuis Clarissime Doctor
 Ojam nunc Cracio majori Sydus in Orbe,
 Hoc Zenith tangendo Tuū splendore corusca!
 Teq; coronato fulgentem vertice serus
 Auferat occasus; nec Te pia sydera nobis
 Inuideant, punctum donec Saturnus ad idem,
 Maxima, vel Magni redeat mensura Platonis.

GRATITVDO LYRICA.

Ode Tricolos Tetrastr.

Arcana cordis nunc refero mei,
 Tuisq; dudum victus amoribus
 Tandem tributi Magne DOCTOR
 Primitias Tibi soluo nostri.

Vixisset eheu! longius aurei
 Ingrata cordis Musa, ruboribus
 Olim verecundis sepulta,
 Nec latices referâsset vnquam.

Imò latentes pectore; nî Tuis
 Dicata festis lux nitidissima,
 Diesq; beryllus dierum
 Insolito micuisset igne.

Delector Io! delicijs Tuis

Sacrata magnis latitijs dies!

Delector Io! Gratiarum

Quod liceat mihi literatum

Vestigal in Te soluere; maximis

Ingrata quod jam Musa fauoribus

Cessabit in Te nominari,

Pindaricum cytharisma cantans.

At ô fodinis, quæ Tibi Perficis,

Midaq; gazis eruta ditibus,

Peruq; Brasilo refusæ

Dona feret pretiosa venæ

Ingentis eheu! debitor hactenus

Vates tributi? depluat aureas

Quamuis procellas grandinemq;

Gemmiferam licet insolenti

Deuoluat æther turbine, gratiis

Haûd fiet unquam gratia par Tuis;

Vicere, captiuumq; gratis

Compedibus benè facta victum

Strinxere Vatem, quem numeri grauis

Moles fatigat, seruitio; tamen

Delector isto; cedat Io!

Munificæ Tibi palma dextræ,

Exuberantis copia gratiæ

Ex me triumphet; do faciles manus,

Vinciq; vinciriq; promptas;

Cedo libens Tibi mancipatum

Ex asse pectus, quod toriès Tuis

Donis ligasti, præueniens mei,

Intelligensq; vota cordis,

Ante Tuâ bonitate victus,

B

Neces.

Necessitatis quàm precibus meæ!
Odulce cordis delictum mei!
Amoris ô Vium paterni
Symbolon! ô bona cæcitatîs
Pupilla nostræ, solq; animi mei!
O vniuersi gloria consili!
Legumq; vindex GRABIANOWSKI,
Iuridicæ columenq; Stoæ!
Doctrina, Magnum Te faciat licet,
Virtusq; summis ornet honoribus,
Ingensq; quantumuis per omnes
Fama Tibi fuerit Cathedras:
Stagyra seu Te doctiloquum sibi
Sophum poposcit, IVSTINIANEVUM
Conclauē seû Mystam supremam;
Seû Themidis voluere rostra,
Sublime de Te iudicium Patrum,
Grandemq; famæ visus es inclytæ
Implere mensuram; probisq;
Dotibus eminuisse semper,
Felicitatîs portio maxima,
Vitæq; princeps cura fuit Tuæ:
Hac Te coronent summa quamuis
Munera; plus tamen indigentium
Amor coronat, sic ego diligi
Quàm laureatæ Palladis omnibus
Malo coronari corymbis;
Vncia carior est amoris;
Quàm libra honoris maxima, quam timor;
Aut ficta cogit quam reuerentia
Honoris extorquetur; at non
Census amoris ab erudito

Cætu profectus; tale Tibi meæ
Solvit tributum nunc cytharæ melos

Honoris ad solenne festum

Primitias Tibi solvo amoris.

O ergò pulchris culmina, passibus
Conscende DOCTOR JUSTINIANEA!

I, quo tot iuisti per annos,

Ecce Tibi Themis eminentem

Vernis coronat deliciis locum,

Phœbusq; calo ridet amarior,

Spondetq; jucundis comarum

Auspiciis Tibi destinati

Ventûra sæcli lucida tempora,

Olimque votis propitium Tuis

Innube calum, quod benignæ

Gaza Tibi, Pietasq; dextræ

Mercata pridem est: incipe sæcli

Cyclum beati, vita Tibi meis

Succrescat annis, ô profundi







Iudicii, sapientiæque,

Vir eminentis, Iuridicæ exedræ

Ornamentum ingens, grandeque consilii

Penu feracis! ô mearum

Materies opulenta laudum!



DOCTORALIS



Sub felicissimis Auspiciis

Magnifici, Clarissimi, & Excellentissimi Domini Dñi.

M. FRANCISCI ROLINSKI,


Philosophiæ, & Medicinæ DOCTORIS, ac
Professoris, Consulis Cracouiēsis, & Generalis
Studii Academiæ Cracouiensis,

R E C T O R I S

Vigilantissimi.



6144/601



1446

